

*Regni Sclavoniae Protonotariis; in Diaetis Regni, votum, locus et Diarium conceditur.*

Articulus 52.

Attentis certis Magistri Joannis Szakmardy de Diankowcz, Protonotarii Regni Croatiae et Sclavoniae, meritis ac servitiis Regno exhibitis; Status et Ordines proprio motu, suae quoque Majestatis benigno consensu accedente, admittunt; ut idem Protonotarius Regni Croatiae et Sclavoniae, ac sui in eodem officio Successores, adinstar aliorum Protonotariorum, in publicis Regni Diaetis votum, locum et Diarium habeant.

LEOPOLDI I. IMPER. & REGIS, DECRETUM TERTIUM, ANNO DOMINI 1681.

Articuli DD. Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium.

*De Milite Nativo, ad Numerum in Articulo 3. Anni 1655. expressum reducendo et exolvendo; ac de bona Confiniorum provisione.*

Articulus 5.

§. 14. De continuaque eorundem omnium Militum modo praevio ad Confinia Regni Ordinatorum et Ordinandorum, ac etiam Banalium, sicut et Speculatorum ubique in Confiniis intertenendorum solutione; non tantum ex proveniuntibus hujus Regni et mediis Tricesimis eum in finem oblatis, verum ad mentem Articuli 34. Anni 1638. et Art. 2. Anni 1659. ex Contributionibus etiam vicinarum suae Majestatis Provinciarum ad Confinia istius Regni exolvenda, ordinatis ac more antiquitus consueto, per Solutores et Commissarios earundem Provinciarum numerandis, effective provideatur.

*Nobiles in Confiniis degentes; per Capitaneos et Officiales Confiniorum, in suis Juribus et Libertatibus Nobilitaribus non molestandi.*

Articulus 19.

In ordine porro ad Nobiles, in Confiniis degentes, in atiquis eorundem Juribus, Privilegiisque et Libertatibus conservandos; et neque iisdem per Supremos et Vice-Capitaneos aliosque Officiales confiniorum quoquo modo praeter viam Juris turbandos; Articuli 81. et 82. Anni 1649., Art. 21. Anni 1659. et Art. 55. Anni 1609. ac alii superinde conditi renovantur et strictissime per omnes locorum Capitaneos observandi decernuntur.